

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Epistolarvm [epistolarum] D. Philippi Melanchthonis Farrago**

**Melanchthon, Philipp**

**Basileae, 1565**

**VD16 -M3220**

Querela de clamitate belli

[urn:nbn:de:bsz:31-312770](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-312770)

## Querela de calamitate belli.

S. D. Nihil accidit noui hoc mihi tempore à tua sollicitudine & uoluntate. Nam sepius me maximum & singularem erga me amorem tuum per spexi, cum quidem aliquando commouerint curas de me tuas, & laborem tibi abiecerint, officijs tuis gratiam nunquam. Sed hæc omitamus. Quod in trepidatione incredibili & perturbatione omnium rerum, & confusione extrema adionum atque consiliorum urbem reliquerint, & quæ occasio fuerit discessionis meæ, & quod huc uenerim cum familia mea, cognouisti siquidem, ut spero, nostri familiares istuc peruenerunt. Nunc in urbe, ut ad spem defensionis, omnia sunt explicatiora & paratiora: ita maior est miseria, & calamitas grauior inter munitionum & militum damna. Nihil possum de his scribere præterea. uincit enim res omnem narrationis atrocitatem: & Syluester cum Lipsiæ fuerit, referre poterit quæ ipse uidit & audiuit. Franciscus Cramius, uir optimus, apud principem in urbe est: à quo heri literas accepi, honestè scriptas. Sed honestis consilijs locus neq; antea relictus fuit, neq; nunc ferè reuincitur. Idem ad me transmisi literas Lanzgrauis, quibus respondet tuis. additæ erant & alteræ ad principem Georgium, quarum exemplum inclusimus his literis. Tuas, dubitans sanè multum ac diu, me tandem co-

L hortante

hortante resignauit Princeps: & perquam sollicitè mandauit mihi, ut hoc factum excusarem literis meis: cui quidem dixi, me arbitrari, nisi factum hoc fuisset, te moleste fuisse laturum: atq; omnino existimare, excusatione apud te non egere. Me contemplatio tam horribilis iræ diuine grassantis indies latius, & respectus meorū, & metus presentium atq; impendentium insuper periculorū, misericordē perturbans: atq; sentio motus interdum animi, quales nunimē uellem, interdū cōsternor cōscientia ἀμορτυμάτων τε καὶ παραπτώματων: & tamē sustento, ut possum. Teq; oro, ut tuis sanctissimis precib; commendes nostrā salutē Christo. Mihiq; ueniā des, quod sine dubio dolorē tuū augeo τῶν τῆ ὁμολογῶσα. Mea siue fuga siue discessio data est familiae meae, quorum percussione mollicbatur animus ἰσχυρῶς εἰς οὐσίαις ἀπὸ τοῦ σώματος. Sed te alia mihi ingentem formidīnē obijciebant, de quib; scribendum non est: & occultus & ignotus terror quidam me uehementer exagitauit. Quid statuam, prorsus non habeo. Nam in patriam deuehi, quod uellem, quo modo familia mea, de qua maxime sollicitior, possit, non uideo. Dicuntur etiam Cesareae copiae illa loca tenere, & per ea transire, subsidio uenturae duci Mauritio. Etiam ex Bohemia adduci ferunt. In his igitur latebis, donec deseriatur paululum apud optimum principem, Sed quando

crit

erit hoc tempus: hoc nimirum permittendum Deo  
 est. Heri putabatur aliquid copiarum huc esse uer-  
 turum: sed traductæ omnes dicuntur in Salinas. La-  
 te autem sunt conditiones, de quibus, & deinde de  
 nobis quid futurum sit, nescio. Optimus princeps  
 Georgius ingentibus curis planè conficitur: & sua  
 benignitate dum pericula auertere studet, periculis  
 sese inuoluit. Non enim est nunc ullus uirtuti,  
 humanitati, moderatiõis locus. Literas misit ad u-  
 trũq; principem: quas, in quam partem accepturi  
 sitis, sanè ueremur. Nos adhuc inter tam multo-  
 rum afflictiones, & in publica quadam clade, pro-  
 texit quidem Deus: quos etiam posthac misericor-  
 dia sua defensurum esse, quantum possum, cõfido:  
 & ego ei qualescunq; gratias cum meis, & illi cõ-  
 mendo Rempublicam: cui utinam possum opis ali-  
 quid adferre interitu meo. Nihil ferè, quòd scribe-  
 rem amplius, in memem ueniebat. Transibit Syl-  
 uester tuus copias Electoris, nihil spero ei periculi  
 fore: etsi à militari manu hoc tempore omnia sunt  
 metuenda. Vale, mi suauissime Philippe. Nostra fã-  
 milia te & tuos saluat. Börnerus uir optimus, &  
 pietatis ac studiorum amantissimus, mirificam o-  
 peram nauat Lipsiæ: quem hoc nomine à te magis  
 quàm antea amari cupio. Datæ Mersburgi. Die 2  
 Ianuarij, Anno instauratæ salutis

1547.

L a

D. Ero